

Die 1 decembris

**S. EDMUNDI CAMPION,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui veræ fidei et Sedis Apostolicæ primátui propugnándo sanctum mártýrem tuum Edmúndum invícta fortitúdi-
ne roborásti, † ejus précibus exorátus, nostræ, quæsumus, * infirmitáti suc-
cúrre, † ut in veritaté tua usque in finem perse-
veráre valeámus. Per Dóminum ...

Die 4 decembris

**S. BARBARÆ,
VIRGINIS ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum – virginum

Antiphona ad introitum (ex. Ps 118)

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum,
et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis,
quæ diléxi nimis.

Collecta

Intercéssio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ,
Víriginis et Mártýris tuæ, ab omni nos adversitaté

2 Dodatky mešních textů pro svaté – prosinec

prótegat, ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguiniis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum ...

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera, quae in beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártýris tuæ sollemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum ...

Antiphona ad communionem (ex Ps 118)

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor in tuis justificatió nibus, ut non confúndar.

Post communionem

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et intercedénte beáta Bárbara Vírgine et Mártýre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum ...

Die 6 decembris

**S. NICOLAI,
EPISCOPI**

Festum

Antiphona ad introitum (ex. Eccli. 45)

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dígnitas in aetérnum.

Collecta

Misericórdiam tuam, Dómine, súpplícés implorá-mus, et, beáti Nicolái epíscopi interveniénte suf-frágio, nos in ómnibus custódi perículis, ut via salútis nobis páteat expedita. Per Dóminum ...

Super oblata

Sanctífica, quáesumus, Dómine Deus, hác múne-ra, quæ in solemnitáte sancti Antístitis tui Nicolái offérimus: ut per ea, vita nostra inter advér-sa, et próspera ubíque dirigátur. Per Dóminum ...

Antiphona ad communionem (ex Ps 88)

Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in aetér-num menébit: et sedes ejus sicut luna perfécta in aetérnum, et testis in cælo fidélis.

Post communionem

Sacrifícia, quæ sumpsimus, Dómine, pro solem-nitáte sancti Pontíficis tui Nicolái, sempitérna nos protectióne consérvent. Per Dóminum ...

Die 18 januarii

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
MATRIS UNITATIS CHRISTIANORUM

*Memoria**Antiphona ad introitum (cf. Ps 106, 47)*

Cóngrega nos, Dómine, de natió nibus, ut sub
tutéla Matris christianórum unitátis, confiteámur
nómini sancto tuo.

Collecta

Deus, qui in dilécto Fílio tuo gentes dispérsas,
ut salvas fáceres, adunásti, da, ut ejus, Genetríce,
beáta María Vírgine intercedénte, cuncti pópuli in
una Ecclésia te colláudent. Per Dóminum ...

Super oblata

Salútis nostræ memoriále celebránte, te Dómine,
humíliter deprecámur, ut omnes uno baptísmate
conjúctos, atque cor et ánima una efféctos, be-
áta María Vírgine, Matre unitátis christianórum
intercedénte, eórundem mysteriórum fácias esse
partícipes. Per Christum ...

*Præfatio de beata Maria Virgine, forma et matre Ecclesiæ**Antiphona ad communionem (1 Cor 10,17)*

Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus,
omnes enim de uno pane participámur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane partícipes et in Christo unum esse voluísti, réspice Ecclésiám tuam supplíciter deprecántem, et cunctis pópulis christiánis, quos Fílius tuus Matri suæ commendávit, unitátis et pacis propítius dona concéde. Per Christum ...

Die 20 januarii

**SS. FABIANI, PAPÆ, ET SEBASTIANI,
MARTYRUM**

*Memoria**De Communi martyrum**Collecta*

Infirmítatem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni intercésio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum ...

Super oblata

Hóstias tibi Dómine, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum ...

Antiphona ad communionem (Luc 6,18)

Multitúdo lanquéntium, et qui veabántur a spirítibus immúndis, veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes.

Post communionem

Refécti participatióne múnneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Fabiáno et Sebastiáno, sentiámus efféctum. Per Dóminum ...

Die 23 januarii

DESPONSATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CUM S. JOSEPH

*Memoria**Antiphona ad introitum (ex. Ps 44)*

Salve sancta Parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum terramque regit in sæcula sæculórum.

Collecta

Fámulis tui, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiae munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum ...

Super oblata

Laudis tuæ hóstias immolámus, Rex regum et Dómine dominántium, qui ne a réprobo rege videréris super terram, per manus beáti Joseph in Ægýptum, et inde in Judæam deférri voluísti: præsta quæsumus nobis, ut quem Nutritórem in terris habére voluísti, pro nostris étiam delíctis exáudias orántem in cælis. Qui vivis et regnas ...

Præfatio de beata Maria Virgine: **Et te in Desponsatióne**

Antiphona ad communionem

Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætéрни Patris Fílium.

Post communionem

Gustu salutáris hóstiæ recreáti, omnipoténtiam tuam Dómine, suppliciter exorámus: ut qui ad rediméndum hómínem de cælo descéndens, atque ex útero beátæ Maríæ Vírginis carnem assúmens, beáti Joseph mánibus subdi voluísti, ejus oratióne semper tuæ nos subdi voluntáti, tuísque fácias obedíre mandátis. Qui vivis et regnas ...

Die 10 martii

**S. JOANNIS OGILVIE,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui sanctum Joánnem mártýrem tuum invíctum fídei cathólicæ propugnatórem effecísti, ejus nobis intercessióne concéde, ut fídei, spei et caritátis augméntum, ubérius in dies consequámur. Per Dóminum ...

Die 23 aprilis

**S. ADALBERTI (VOJTECHI),
EPISCOPI ET MARTYRIS**

Festum

Antiphona ad introitum (Hebr 5, 1)

Omnis pónťifex ex homínibus assúptus pro homínibus constitúitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccátis (Allelúia).

Collecta

Deus, qui sanctum Adalbértum episcopum zelo animárum succénsus martýrio coronásti, ejus interveniénte suffrágio concéde, ut nec pastóribus obodiéntia gregis nec gregi desit cura pastórum. Per Dóminum ...

Super oblata

Súscipe, Dómine, hæc múnera, quæ tibi in sancti mártýris Adalbérti commemoratióne deférimus, et præsta nobis spíritum, quo ipse flagrávit, ut vita nostra inter advérſa et próſpera ad te semper dirigátur. Per Christum ...

Antiphona ad communionem (cf. Act 1, 8)

Accipiétis virtútem et éritis mihi testes usque ad últimum terræ (Allelúia).

Post communionem

Sacramentum quod sumpsimus, Dómine Deus noster, vivíficet in nobis spíritum fortitúdinis et perseverántiæ, ut, exémpulum sancti Adalbértili sectántes omnésque diccicultátes superántes, testimónium Evangélio fidéliter præbeámus. Per Christum ...

Die 30 aprilis

**S. SIGISMUNDI,
MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Exáudi nos, miséricors Deus, et pópulum tuum, exémplo sancti Sigismúndi mártiris, ad veram pæniténtiam addúctum reconciliatiónis plenitúdine lætífica. Per Dóminum ...

Die 4 maii

**S. FLORIANI,
MARTYRIS**

Memoria

Antiphona ad introitum (ex Ps 63)

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium: a multitúdine operántium iniquitátem (allelúia, allelúia).

Collecta

Deus, a quo constantiam fides, et virtutem sumit infirmitas, * tríbue nobis mártýrum Floriáni et sociórum ejus exémplo et précibus, in Unigéniti tui passióne et resurrectióne consórtium, † ut cum eis apud te gáudium perféctum consequámur. Per Dóminum ...

Super oblata

Munéribus nostris, quaesumus, Dómine, precibús-que suscéptis, et cæléstibus nos munda mystériis, et cleméner exáudi. Per Dóminum ...

Antiphona ad communionem (ex Ps 63)

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde (allelúia, allelúia).

Post communionem

Da, quáesumus, Dómine Deus noster: ut sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum ...

Die 6 maii

**S. JOANNIS SARCANDER,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui beátum Joánnem mártýrem in confessióne veræ fídei et sacramentális siléntii custódia virtúte constántiæ roborásti, præsta quæsumus, ut contra advérsa ómnia ejus muniámur extrémis et protegémur auxiliis. Per Dóminum ...

Super oblata

Múnera tibi Dómine, oblata sanctífica et, beáti Joánnis mártýris tui intercessióne placátus, præsta, ut, qui ejus gloriósa confessióne lætámur, fídei constántiam imitémur. Per Christum ...

Post communionem

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium, quod beáto Joánni mártýri tuo constántiam in agóne præstitit palmámque triúmphi. Per Christum ...

Die 8 maii

**BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
MEDIATRICIS OMNIUM GRATIARUM**

Memoria

De Communi beatæ Mariæ Virginis

Collecta

Deus, qui beatíssimam Vírginem Mariám, Matrem Fílii tui, redemptóris nostri, nostram apud te mediátricem constitúere dignátus es; concéde propítius, ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur. Per Dóminum ...

Præfatio de beata Maria Virgine, forma et matre Ecclesiæ

Die 16 maii

**S. JOANNIS NEPOMUCENI,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Festum

Antiphona ad introitum (cf. 2 Mac 7, 39-40)

Rex accénsus ira in hunc super omnes crudélius desévit. Et hic mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens (allelúia, allelúia).

Collecta

Deus, qui sanctum Joánnem presbýterum et mártýrem ad jura Ecclésiæ defendénda, silentiúmque sacramentále custodiéndum confortáre dignátus es, præsta, quæsumus, ut exéplum fortitúdinis ejus sectántes, servítium nostrum fidéliter adimpleámus. Per Dóminum ...

Super oblata

Súscipe, quæsumus, Dómine, hæc múnera et sancto mártýre tuo ac presbýtero Joánne intercedénte tríbue nobis remissionem ómnium peccatórum, ut spírítu piæ devotiónis repléti toto corde tibi serviámus. Per Christum ...

Præfatio

Vere dignum et justum est, sequum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beáti Joánnis Præcursóris Fílii tui spírítum in sacerdóte ac mártýre tuo Joánne suscitásti, ut in conspéctu poténtium de testimóniis tuis fórtiter loquerétur.

Ille regis improbitátem líbera voce, hoc voce damnávit et siléntio. Ille conjugális fídei violatióne coárguit, hic sacramentális arcáni religióne deféndit. Alter præclári martýrii coróna véterem cláusit Ecclésiam, alter novam nova lauréola decorávit. O gloriósam nóminis, certánimis ac triúmphi societátem! O tuam in Sanctis tuis mirábilem et prædicándam poténtiam! O magnum testimónium, quod præbuérunt Christo tuo!

Per quem et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis tibi confitémur, in exsultatióne dicétes:

Qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate mitis et quieti spiritus, hic est in conspectu Dei locuples (allelúia, allelúia).

Post communionem

Fragilitatem nostram, Dómine, cælestis hæc mensa fortium pane confirmet, qui beáti Joánnis constantiam júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum ...

Die 20 maii

**S. CLEMENTIS MARIA HOFBAUER,
RELIGIOSI ET PRESBYTERI**

Memoria

De Communi pastorum: pro religiosis

Collecta

Deus, qui sanctum Cleméntem Mariám miro fidei róbre, et invictæ constantiæ virtúte decorásti: ejus méritis et extrémis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate fervéntes; ut præmia consequámur æténa. Per Dóminum ...

Die 30 maii

S. ZDISLAVÆ

Memoria

De Communi sanctarum mulierum

Collecta

Deus, qui beátam Zdíslavam, amóre tuo succénsam, famíliam suam cotídie sollícite curáre ac necessitátibus afflictórum prospícere docuísti, præsta, ut exémplum ejus sectántes tempúsque nobis commíssum bonis opéribus impléntes, voluntátem tuam fidéliter exsequámur. Per Dóminum ...

Super oblata

Famíliis nostris, quæsumus, Dómine, memóriam beátæ Zdíslavæ recoléntibus, unitátis et pacis dona concéde, quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Christum ...

Post communionem

Hujus sacræ communiónis, quæsumus, Dómine, fructum in nobis júgiter sentiámus, qua et virtútes roboréntur in córdibus, et actus sanctquæsumus, Dómine, operatiónis excreúcant. Per Christum ...

Die 15 junii

S. VITI,
MARTYRIS

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui sanctum Vitum juvenili adhuc ætate ob invictam fidelitatem victoriæ coróna decorasti, ejus intercessiõne concède, ut nostris quoque temporibus júvenes virtúte constántiæ ac fortitúdinis roboráti te quæréntes invéniant. Per Dóminum ...

Die 19 junii

**S. JOANNIS NEPOMUCENI NEUMANN,
EPISCOPI**

Memoria

De Communi pastorum: pro episcopis

Collecta

Deus, qui sanctum Joánnem episcopum pastoralibus ministériis claréscere voluisti, concède propítius, ut ejus constans perfectiõnis acquirénda stúdiu in cotidiánis opéribus exquiréendis sectántes, Ecclésiæ tuæ fructuóse inservíre valeámus. Per Dóminum ...

Die 4 julii

**S. PROCOPII,
ABBATIS**

Memoria

Antiphona ad introitum (cf. Os 2, 16)

Duxit eum Dóminus in solitúdinem, et locútus est ad cor ejus.

Collecta

Deus, qui ad congregándos multos oratióne et labóre tibi servíre cupiéntes sanctum Procópium elegísti, ejus nobis intercessióne concéde, ut oratióne et operatióne tibi placéntes in conspéctu tuo júgiter ambulémus. Per Dóminum ...

Super oblata

Sanctífica, quæsumus, Dómine Deus, hæc múnera, quibus in commemoratióne sancti Procópii altáre tuum cumulámus, ut per ea grátia tuæ virtúte contra omnes hostíles incúrsus muniámur. Per Christum ...

Antiphona ad communionem (cf. Eccl 11, 12-13)

Deus eréxit eum ab humilitáte ipsíus et exaltávit eum, et miráti sunt in illo multi et honoravérunt Deum.

Post communionem

Deus, qui sancto Procópio opus grátia tua incéptum fórtiter et perseveránter prósequi tribuísti, præsta, quæsumus, ut nos quoque sacro múnere roboráti cuncta nobis adversántia superáre valeámus. Per Christum ...

Die 5 julii

Ss. CYRILLI, MONACHI, ET METHODII, EPISCOPI

Sollemnitas

Antiphona ad introitum (cf. Os 2, 16)

Audíte Verbum, quod a Deo venit, verbum ánimas hóminum sátians, verbum corda et mentes corróborans, verbum ad cognitióem Dei perdúcens.

Collecta

Deus, qui pátribus nostris sanctos Cyríllum et Methódium ad evangélium Slavórum lingua prædicándum misísti, præsta, quæsumus, ut veritátem tuam læti suscipiéntes in vita nostra opére adimpleámus. Per Dóminum ...

Super oblata

Inténde, Dómine, múnera altáribus tuis propósita, et hujus sacrificií virtúte concéde, ut, exémplum sanctórum Cyrílli et Methódii sectántes, voluntátem tuam fidéliter exsequámur.

Præfatio de pastoribus

Antiphona ad communionem (Act 13, 49)

Verbum Dómini ferebátur per univérsam regió-nem.

Post communionem

Réspice, quæsumus, Dómine, fámulos tuos, quos córpore et Sáanguine tuo refecísti, et præsta, ut qui victóriam tuam adventúmque gloriósum expectá-mus, intercessióne sanctórum Cyrílli et Methódii vínculis fídei et caritátis conjúcti in die judícii ad déxteram tuam inveníri mereámur.

Die 14 julii

**B. HROZNATÆ,
RELIGIOSIS ET MARTYRIS**

*Memoria**De Communi martyrum**Collecta*

Deus, qui beátum Hróznatam e sæculi pompis ad crucis sequélam transtulísti, eúmque pro tui nó-minis glória ómnia sua trádere suámque ánimam pónere fecísti: præsta, quæsumus, ut, ejus caritátis et fortitúdinis exémpla sectántes in terris, cum ipso coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum ...

Super oblata

Sanctífica, quæsumus, Dómine, múnera dignán-ter obláta, et intercedénte beáto Hróznata, quem vinctum in cárcere martýrio coronásti, víncula pra-vitátis nostræ miserátus absólve. Per Christum ...

Post communionem

Sacraménti salutáris, Dómine, pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur pietátem, ut intercessióne beáti Hróznatae mártýris ab hóstiis júgiter libe-
rémur insídiis et gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.
Per Christum ...

Die 17 julii

**BB. CZESLAUI ET HYACINTI,
RELIGIOSORUM ET PRESBYTERORUM**

Memoria

De Communi pastorum

Collecta

Deus, qui beátos sacerdótes Cesláum et Hyacín-
thum, virgíneo morum candóre præditos et salutis
animárum zelo succénsos, in diversis natiónum
pópulis óperum sanctitáte et fídei propagatióne
mirábiles effecísti, praesta quæsumus, ut, eórum
intercessióne simus semper in fide stábiles, et ad
te, qui solus es ætérnae salutis auctor ac largítor,
veníre valeámus. Per Dóminum ...

Die 27 julii

Ss. GORAZDI, EPISCOPI, ET SOCIORUM

Memoria

De Communi pastorum

Collecta

Deus, qui sanctos Gorázdum, Cleméntem, Náumum, Angelárium et Sabbam ad opus apostólicum sanctórum Cyrílli et Methódii prosequéndum suscitásti, doce étiam nos depósitum fídei áliis trádere, ut crescámus omnes in grátia et in cognitióne Fílii tui Jesu Christi. Qui tecum vivit ...

Die 25 augusti

**SS. BENEDICTI, JOANNIS, MATHÆI, ISAACI ET
CHRISTIANI, MONACHORUM ET MARTYRUM**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui beátum Benedíctum ejúsque sócios ad vitam commúnem in spírítu paupertátis degéndam vocásti eósque a latrónibus, pecúniám apud eos frustra quæréntibus, necátos in ætéram glóriam accepísti, concéde nobis, quæsumus, ut tibi fratribúsque nostris non turpis lucrí grátia, sed ex ánima serviámus. Per Dóminum ...

Die 7 septembris

**B. MELCHIORIS,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Beāti Mártyris tui Melchióris, quáesumus, Dómine, précibus adjuvémur: ut, cujus gloriámur triúmpho, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum ...

Die 10 septembris

**B. CAROLI SPINOLÆ,
PRESBYTERI ET MARTYRIS**

Memoria

De Communi martyrum

Collecta

Deus, qui beátum Carólum, zelo animárum flagrántem, ad veritátem tuam pópulo Japóniæ prædicándam misísti, eúmque propter testimónium fídei igne cremátum mártýris coróna decorásti, præsta quáesumus, ut nos quoque testimónium verum tibi coram homínibus exhibeámus. Per Dóminum ...

Die 16 septembris

**S. LUDMILÆ,
MARTYRIS**

Memoria

Antiphona ad introitum (Prov 31, 26)

Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus.

Collecta

Adjúvent nos, quæsumus, Domine, preces et mérita sanctæ Lúdmilæ martýris tuæ: ut ejus vestígiis inhæréntes, in fide inveniámur stábiles, et in sanctis opéribus efficáces. Per Dóminum ...

Super oblata

Múnera, quæsumus, Dómine, obláta sanctífica, ut sicut beátæ Lúdmilæ horam sui óbitus præstolánti, sumpta profuérunt, ita nobis nunc et in hora mortis nostræ ejus méritis profíciant ad salútem. Per Christum ...

Antiphona ad communionem (Prov 31, 20)

Manum suam apéruit ínopi et palmas suas exténdit ad páuperes.

Post communionem

Sumpto salutári sacraméto, quæsumus, Dómine, ut sicut iste panis cæléstis sanctæ Lúdmilæ non défuit ad grátiam, ita nobis semper profíciat ad medélam. Per Christum ...

Die 28 septembris

**S. VENCESLAI,
MARTYRIS**

Sollemnitás

Antiphona ad introitum (cf. Sap 4, 13)

Consumátus in brevi, explévit témpora multa.

Collecta

Præsta, quæsumus, omnípotens ætérne Deus, ut sancti Vencésilai mártýris vestígia sectántes in justítia et sapiéntia coram te ambulémus, et ea quæ pacis sunt quæréntes malum in bono vincámus. Per Dóminum ...

Super oblata

Súscipe, quæsumus, Dómine, hæc dona, quæ ex terræ nostræ frúctibus altári tuo superpónimus, et præsta, ut exémplo sancti Vencésilai in caritáte tui et próximi crescéntes tibi in frátribus nostris serviámus. Per Christum ...

Antiphona ad communionem (Mt 5, 7-9)

Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Post communionem

Cælésti alimónia satiáti, Dómine, qua beátus Vencéslaus et omnes vestígia ejus sequéntes confortabántur, súpplīces te deprecámur: fac, ut in fortitúdine cibi illíus ad cæléste convívium perveniámus et in communióne cum ipsis in ætérnum vivámus. Per Christum ...

Die 12 octobris

S. GAUDENTII (RADIMI),
EPISCOPI

Memoria

De Communi pastorum: pro episcopis

Collecta

Deus, cujus providentia sanctus Radim, fratris sui Adalbérti in ópere sócius ipsiúsque martýrii testis factus, opus apostólicum non derelíquit, tríbue nobis, quæsumus, ut hoc exémpulum præ óculis habéntes cooperatiónem eórum fratérnam imitémur. Per Dóminum ...

Die 16 octobris

S. HEDVIGIS,
MONIALIS ON

Memoria

De Communi sanctarum: pro moniali

Collecta

Deus, qui beátam Hedvígem a sáeculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti, concéde, ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Per Dóminum ...

Die 31 octobris

**S. WOLFGANGI,
EPISCOPI**

Memoria

De Communi pastorum: pro episcopis

Collecta

Deus, qui sanctum Wolfgángum episcopum spírítu sapiéntiæ et magnanimitátis implevísti, concéde, quæsumus, ut et nos bonum regni tui præ óculis habéntes, quæ ad salútem pópuli tui pródeunt júgiter quæramus. Per Dóminum ...

Die 13 novembris

**S. AGNETIS DE BOHEMIA,
MONIALIS ET VIRGINIS**

Festum

Antiphona ad introitum (Mt 25, 34a.35-36a.40b)

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus: esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi, et dedístis mihi bíbere: hospes eram, et collegístis me: nudus, et operuístis me. Amen, dico vobis: quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

Collecta

Deus, qui beátam Agnétem Vírginem per regálium deliciárum contéptum et húmílem tuæ crucis se-

quélam ad cœlum sublimásti: tríbue nobis, quáesumus, ut ejus précibus et imitatióne, ætérnæ glóriæ mereámur esse partícipes. Per Dóminum ...

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera pópuli tui, et præsta, ut exémplo sanctæ Agnétis suffúlti, Fílium tuum in próximis agnoscéntes, omni sollicitúdine ipsi in frátribus serviámus. Qui vivit ...

Præfatio de sanctis virginibus et religiosis.

Antiphona ad communionem (Jn 13,35)

In hoc cognóscent omnes quia mei discípuli estis: si dilectiónem habuéritis ad ínvicem, dicit Dóminus.

Post communionem

Reféctos, Dómine, sacraménto Fílii tui, quod est vínculum caritátis et sígnum unitátis, fac nos, quáesumus, sanctæ Agnétis exémpla sectári, ut illíus erga egénos amóris partícipes pacis et reconciliatiónis operatóres fieri valeámus. Per Christum ...